

Embedded reading

Andromeda

Versio II et ultima

Fuit Andromeda pulcherrima virgo, filia Cassiopeae et Cephei, qui in Asia regnabant. A prima aetate tam formosa fuit puella, ut omnes eius pulchritudinem admirarentur. Cum vero ad sextum et decimum annum Andromeda pervenisset, eius mater, interrogata quid de tam pulchra filia sentiret, sine mora respondit se certo scire ne Nereidas quidem tanta pulchritudine ornatas esse. „Utinam“ inquit „hic adessent illae maris nymphae! Tunc enim omnes videretis meam Andromedam iis multo pulchriorem esse!“

Eius verba, ventis flantibus vecta, usque ad Nereidum aures allata sunt; quae, cum haec audivissent, iratae ob mortalis feminae superbiam, statim ad Neptunum cucurrerunt, qui primo mirabatur cur tam turbatae esse viderentur: cum vero illae verba, quae Cassiopea fecerat, ei narravissent, Neptunus, qui eam severe punire constituit, e medio Oceano novum nec umquam antea visum monstrum evocavit, ut incolas eius regionis, in qua Andromedae parentes regnabant, voraret eorumque agros vastaret.

Saevisima igitur illa bestia tantam civium caedem fecit, ut Cepheus rex, ne totus populus periret, Neptuni templum adiverit deumque multis precibus oraverit ut illud malum a se suisque civibus averteret. Preces audivit Neptunus, neque tamen consilium mutavit, cum superbiam reginae per illud monstrum punire vellet.

Cum igitur Cepheus interrogavisset quid facere posset, ut cives suos tanto periculo liberaret, deus statim ei dixit *Andromedam filiam bestiae offerendam esse*. „Quod si feceris“ inquit terribili voce Neptunus, „ferum monstrum, quod ad vastandos agros hominesque vorandos misi, a tua regione abibit et iterum in mare, unde venit, redibit.“

Rex, tali responso audito, maerens ad uxorem rediit eique narravit quid deus dixisset. Quae, cum eius verba audivisset, multis lacrimis effusis, marito persuadere conata est, ne dei imperata faceret; ille vero, cum cupidus populi sui servandi esset, quamquam valde filiam suam amabat, quod deus postulabat faciendum esse constituit. Iussit igitur *Andromedam ad maris litus adduci, atque catenis ferreis ad saxum vinciri*. Mater plorans ad Cepheum „Quomodo“ clamabat, „hoc facere potuisti, mi vir?“ Qui, inter lacrimas, quas ipse quoque copiose effundebat, „Quaeris a me, o uxor,“ inquit, „cur tam saevus fuerim, ut filiam ad certam mortem miserim. Nisi autem hoc fecissem, illa bestia nemini nostrum pepercisset atque omnes agros nostros vastavisset. Regis officium est servare cives suos.“

Forte vero Perseus in illius regionis ora errabat; qui, cum pulcherrimam illam virginem ad dura saxa vinctam conspexisset, primum deae cuiusdam signum eam esse credidit; deinde vero, cum ventum capillos leviter movere atque ex oculis lacrimas effundi vidisset, valde stupuit atque ad puellam, cuius tanta pulchritudine captus erat, accessit talia verba dicens: „O formosissima virgo, tu istis catenis mihi indigna esse videris: dic mihi quid sit tibi nomen et qua in regione versemur; mihi quoque narra cur haec vincula geras.“

Primo siluit illa, nec cum viro ausa est loqui; vultum etiam manibus operuisset, nisi vincta esset. Pudebat enim oculosque replevit lacrimis; deinde, cum Perseus etiam atque etiam interrogaret, ne videretur nolle casus suos fateri, quod nomen illi terrae esset dixit, neque occultavit quomodo ipsa vocaretur. Tum narravit quid mater superbe affirmavisset, quid vero, ut eam puniret, imperavisset Neptunus. At, nondum memoratis omnibus rebus, horrendus sonus e maris fluctibus auditus est. Ingens bestia, cum e medio mari emersisset, celerrime ad litus veniebat. Clamavit virgo: maerebat pater, et mater paene amens adstabat; neuter tamen auxilium ullum ferre poterat, sed tantum lacrimas illo tempore dignas effundebant, nec se a vincto filiae corpore movebant.

Perseus vero „Non est nunc tempus lacrimandi:“ inquit, „opem nunc ferre necesse est, ne virgo a monstro voretur!“ Oraverunt igitur parentes „Tu, qui es fortissimus, fer auxilium puellae nostrae in summo periculo versanti! Si eius vitam servaveris, eam tibi uxorem dabimus!“

Gerebat in pedibus Perseus calceos alis ornatos, ita ut, sicut Mercurius, volare posset. Cum ergo terram pedibus pulsavisset, sursum in aere usque ad nubes volavit; inde vero, tamquam aquila de caelo celerrime descendens, in monstri tergum impetum fecit, gladiumque suum in dextrum ferae umerum infixit. Quae, cum graviter vulneratam se esse sensisset, primum se in aquas mersit; deinde ex fluctibus surrexit, horrenda visu; tum Perseum iterum iterumque mordere conabatur, at ille, huc illuc velocissime volans, eius impetus facile vitabat; denique maxima cum vi saevam bestiam etiam atque etiam in compluribus corporis partibus ense vulneravit, donec illa, multo sanguine effuso, ex vulneribus mortua est.

Gaudent Andromedae parentes, laetantur cives, Perseumque victorem salutant: „Nisi tu auxilio nobis venisses“ inquit Cepheus, „certe filia mea horrenda morte periisset. Ecce, eam uxorem accipe: dii vos tueantur!“

Perseus, cum ad saxum, ad quod erat vincta Andromeda, accessisset, pulcherrimam virginem, adhuc metu affectam, catenis solvit ac multis verbis consolatus est; postea eam, quae beatam se esse arbitrabatur cum tam fortis et pulchri viri uxor facta esset, secum duxit.